VENERABILIBUS FRATRIBUS
ARCHIEPISCOPIS
&
EPISCOPIS
REGNI POLONIÆ

CLEMENS
PAPA. XI.

VEnerabiles Fratres Salutem & Apoſtolicam Benedictionem. Etſi præclara ac conſtans, quam de prudentia, fide ac religione veſtra habemus, opinio, certam Nobis ſpem faciat, Vos memores eorum, quæ per alias noſtras in ſimili forma breves literas, pro reſtituenda Reipublicæ Veſtræ tranquillitate, tuendaque adverſus invaſores hæreticos Catholicæ Religionis, & Clariſſimi in Chriſto Filii noſtri Auguſti Poloniæ Regis Illuſtris cauſa, ad vos ſcripſimus, nihil unquam adverſus eundem Auguſtum Regem admiſſuros, ſed debitæ erga eum reverentiæ argumenta, daturos eſſe, ut omnibus palam fiat, ſacros eccleſiarum antiſtites non turbandæ, ſed tuendæ, juvandæque Reipublicæ allaborare; Nihilominus, cum nonnullorum audaciam eo progreſſum fuiſſe compertum ſit, ut contemtis omnibus Dei, & patriæ legibus, legitimoque Rege poſtpoſito, Novum eligere, Acatholicorum viribus potiſſimum adſtipulantibus, non erubuerint, timerique merito poſſit, ne mala malis addendo ad pe-

jora

jora in dies consilia, ac non nisi in extremam totius regni perniciem cessura prolabantur. Hinc est, quod Nos considerantes quam turpe esset, & Episcopali Ordini indecorum ecclesiasticam potestatem tam aperte legitimi Regis injuriæ patrocinari, quod sane cavere Vos maxime tam justitia ipsa, ac leges vestræ, quam universi regni pax & tranquillitas, quin & Catholicæ Religionis ratio omnino postulant, ac proinde pro paterna quam erga Rempublicam vestram ac vos ipsos gerimus, benevolentia, quibuscunque gravioribus eventuris malis, quantum cum Domino possumus, mature occurrere cupientes, motu proprio, ac ex certa scientia, & matura deliberatione nostris, deque Apostolicæ potestatis plenitudine, Vobis, & Vestrûm singulis, tenore præsentium districte præcipimus, atque inhibemus, ne Coronationi prædicti, nulliter & perperam Electi Regis, quæ quoquo modo tentari posset, vos ullatenus ingeratis, sub pœnis suspensionis ab exercitio Pontificalium & interdicti ab ingressu ecclesiæ, ipso facto & absque alia declaratione incurrendis. Non

ob-

obstantibus Apostolicis, ac in Universalibus Provincialibusque, & Synodalibus Conciliis editis Generalibus, vel specialibus constitutionibus & Ordinationibus, nec non quibusvis etiam juramento, confirmatione Apostolica, vel quavis firmitate alia roboratis statutis, & consuetudinibus, privilegiis quoque, indultis, & literis Apostolicis in contrarium praemissorum, quomodolibet concessis, confirmatis & innovatis. Quibus omnibus, & singulis, illorum tenores praesentibus pro plene & sufficienter expressis, & de verbo ad verbum insertis habentes, illis alias in suo robore permansuris, ad praemissorum effectum hac vice duntaxat specialiter & expresse derogamus caeterisque contrariis quibuscunque. Datum Romae apud S. Petrum sub Annulo Piscatoris die X. Junii MDCCV. Pontificatus nostri anno quinto.

F. Oliverius.

Praesentes literae Apostolicae cum Originali collationatae concordant taliter semper &c.

Paulus fortius Consistorii Causarum Camerae Apostolicae & Sac. Palatii Apostolici Notarius.